



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Fasciculus Exercitiorum Et
Considerationum, De Præcipuis Veritatibus Christianæ Fidei Et Sapientiæ -
Ad efformationem Christianæ vitæ, consecutionem salutis æternæ
collectus: & usui accommodatus

Druzbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066332

Exerc. 4. De Morte Malorum, Justorum, & Perfectorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45396

2. Effundo in conspectu ejus Orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

3. In desiciendo ex me spiritum meum: & tu cognovisti semitas meas.

4. Considerabam ad dexteram & videbam: & non erat qui cognosceret me.

5. Periit fuga à me: & non est qui requirat Animam meam.

6. Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terrâ viventium.

7. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me à persecutibus meis: qui confortati sunt super me.

8. Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi donec retribuas mihi.

EXERCITIUM IV.

De Morte malorum, justorum, perfectorum.

1. Constitue te vel in conspectu, vel in statu moribundi: cui dictum sit à DEO; *Di-* *Isaie 38.2.*
sponde domui tue: quia morieris tu, & non vives.

2. Hæc denuntiatio quibus fiat, solent esse, vel mali ac impii, vel justi ac boni: vel Sancti ac perfecti: quorum in classe an tu sis? futurus sis? aut esse velis? jam vide.

3. De morte malorum graphicè dictum est à Spiritu Sancto. *Mors peccatorum pessima. Et; O Eccl. 48.1.*

Mors; quàm amara est memoria tua homini. Pessima & amarissima est mors impii, tam ante mortem, quàm in morte, quàm post mortem.

1. Ante mortem: ob corporis ægri dolores, impatientias, querimonias, etiam de Deo ipso: quasi

Handwritten notes on the right margin, including the number 11 and other illegible characters.

quasi authore iniquo, & importuno, ejus ini-
mitatum. Ob Animi angores, tædia in &
doloribus: mærores ex amissione omnium mu-
di bonorum jam jam ingruente: timores
mortis, & mortem sequentium malorum adve-
tu, non dubio; ob scelerum certam conscien-
am, multitudinem, enormitatem, nec non
monum præsentiam ad extrema urgentium,
rapere ad suam societatem paratorum, uti le-
num rugientium paratorum ad escam.

2. In morte etiam mors peccatorum pessima.
Videt enim infelix peccator, supra se quide-
cælum æneum, inexorable: Judicem DEUM
iratum: Sanctos elongatos, imò infensos. In-
tra se conscientiam accusatricem, testem, con-
victricem. Circa se dæmonum horribilium
tervas clamantium: *Euge, Euge: devoravit
eum.* Infrà se, os inferni apertum, & ardere
sempiternos, jam paratos, & ascendentes, &
desperationem præcipitantes.

3. Post mortem verò, tum demum mors
peccatorum pessima. Omnia bona Fortunæ
rapinam abeunt: & sæpe ad non suos, sed
alienos, ad hostes, ad ingratos. Bona corpo-
ris ab animâ deserti, nulla remanent: succedunt
horror, fætor, putor, vermium scaturigo, na-
sea, & abominatio. Animæ bona, si quæ inven-
untur, ea sunt pauca, imperfecta, manca,
fecta, ingrata, mortua, & denique jam hæc
vitâ, suâ mercede satis compensata: vitæ
mercedi æternæ non idonea: porrò mala opera
interna & externa, ex omni parte infinita, ex-
sissima, jam Deo judice recognita, & damna-
tioni æternæ addicta: ipsa demum Anima, &

& unguibus dæmonum, æternisque suppliciis tradita per sententiam; *Discedite à me male-dicti.* *Matt. 25. 41.*

4. Hæc mors; numquid placet tibi? eritne tua huic similis? facisne, & quomodo facis, ne sit similis? & quando facies, aut facere incipies, ut sit planè dissimilis? ô, quamdiu cras, cras: quare non modò, quare non statim, finis turpitudinis, & impietatis? Ah, quàm nihili, quàm vana, quàm fæda, quàm scelestâ, quàm nulla sunt, quæ te impediunt, à pænitente, & emendatâ vitâ, quæ te detinent in scelestâ, & impænitente vivendi ratione? Deusne deest, aut ejus gratia? an tu tibi potiùs, qui Deum, & ejus gratiam negligis, contemnis, abjicis; Et quamdiu sic desipies? Vitamque in melius non mutabis, mortemque meliorem, dum vita super est, tibi non providebis?

4. Mors justorum, per omnia opponitur isti perditorum exitui: de illâ dicit Spiritus Sanctus; *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* *Apoç. 14. 13.* Sperant enim Justi in morte suâ;

1. Est enim Justus beatus ante mortem suam: beatus quoad Corpus; quia etsi dolet, & morbos sentit, sensum tamen illum dolorum æquanimitèr sustinet, & Deum in eis laudat, nec stultum quid contra Dominum loquitur: unit dolores suos Christi doloribus: offert illos pro suarum noxarum expiatione: condit illos amore Dei, & resignatione plenâ in sanctissimam Dei Voluntatem: facitque ex eis sibi messem meritòrum, & exsolvit purgatorium per eos, sive suum, sive Animarum aliarum.

2. Beatus quoque justus ante mortem suam: quoad

Ll 2

Handwritten notes on the right margin, including the number 11 and other illegible characters.

quoad Animam: quietus enim & etiam gaudens mortem excipit: plenus quiete, pace, solatio spe: quin & desiderio status melioris, brevi se adventuri. Non eum terret conscientia mala quam pacatam habet, ob pœnitentiæ, & virtutum, & alia bona opera. Non dolet de amissione, aut relictione bonorum temporalium: quæ non amavit, & pridem animo dereliquit: recte iis usus est: & libenter expedit se ab eis tanquam periculosè habitis. Solatur illum, recte factorum conscientia: non solum emundata: sed etiam

2. Tim. 4. 1.

Pf. 121. 1.

ornata, & ditata: ait cum Paulo: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: reliquo reposita est mihi Corona Justitiæ:* ait & cum Davide; *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* & cum Aug. *Domine frater quod jussisti: da quod promisisti.*

3. Beatus etiam justus in morte. Nam supra se videt placatum Judicem: bono animo esse jubentem, benigne ad se advocantem. Circa se videt Coronam Sanctorum: Dei Matrem, SS. Angelos, & Patronos: Intra se habet conscientiam mundatam, quietam; sub se infernum conclusum, & dæmones procul repulso, confusosque. Denique excipit sententiam salutis æternæ: & exit de corpore securus Vitæ beatæ.

4. Beatus verò maximè justus post mortem quia vel triumphans statim in Cælum ducitur, lumine gloriæ, & visione Dei beandus, aut jam reipsâ beatus; vel si ad Purgatorium ei divertendum est; hoc ipsum est ei cum certitudine, & securitate salutis æternæ: & interim est in Dei Charitate: amatque justitiæ ejus satisfieri in se & aptat

& aptari se, emundarique, dignè conspectu, & fruitione Dei.

§. Age homo: nonnè more justorum morte desiderabile est? Inspice conscientiam tuam præsentem: eritnè mors tua mors justorum? Si ad dubitas, si formidas: non tu insanis qui hoc negotium tibi dubium esse, volens facis? quam dabis Deo, quam ipsi tibi obtrudes excusationem: sciens tantas te habuisse, & habere opportunitates, gratias auxiliantes, exstimulationes, exempla? Numquid vides, quas in angustias, & anxietates animam tuam deduxerit, deducatque negligentia, tepiditasque vivendi, dilatio emendandi, & in servitio viâque Dei fervendi?

§. Jam de morte justorum, perfectorum ac Sanctorum dicit Spiritus Sanctus; *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et cur pretiosa? utique quia admodum cara, admodum rara, admodum Cor Dei lætificans, cælos ornans, beatos omnes exhilarans: pretiosis, atque insignibus gloriæ tam substantialis, quam accidentalibus dotibus Animam Sanctam cumulans, & toti Cælo pretiosam reddens, utramque Ecclesiam Dei, tam Triumphantem, quam militantem excellenter ædificans, & perficiens. Hæc pretiosa mors: habet omnia bona mortis justorum, sed excellentiùs & copiosiùs; tantò, quantò Sancti per eam morientes, & ipsi excellentiores in vitâ suâ fuerunt, & in suâ morte sunt. Quantum igitur egregiè Sanctorum vita & mores superant vitam & mores justorum (ut sic dicam) plebejorum, atque vulgarij, qualium ordinariè plena sunt domicilia Religiosorum: tantum etiam egregiè Sanctorum, ac

Perfectorum mors, superare solet mortem vulgarium, ac de plebe justorum. Et quia talis conditio statûs Religiosi, attentis eis, quibus supra modum abundat commoditatibus, & auxiliis ad vivendum ex omni parte quàm Sanctissimè, atque perfectissimè; ita ut tantùm vulgèriter justum esse, ac juste vivere in Religione non tantùm laus magna non sit, sed ferme prehensibile sit; sic etiam attentis iisdem Vita Religiosæ, tam plurimis, quàm singularissimè efficacissimisque mediis, & subsidiis, mori in Religione morte justorum vulgarium, ad vulgare, plebejumque est; ut propemodum, temori, Religiosis probrosum sit: necesse autem sit atque obligatorium iis, tam vivere quam mori, vitâ & morte Sanctorum, vitâ & morte Perfectorum, vitâ & morte pretiosâ in conspectu Domini.

2. Nescit certè homo; (& loquimur de Religiosi statûs homine;) Nescit (inquam) religiosus homo; quæ sit spes vocationis suæ, coram Deo, quâ ad Religionem vocatus est, quisque putat satis facere se obligationi, & spei vocationis suæ, si tantùm curet de plebe justorum esse: & quasi unum de vulgo justum mori. Hæc vocatio, hæc justorum vita, & mors, omnium prorsus Christianorum est: ad quam, religio vocationis gratiis, & sumptibus, Deo minimo opus est. Ergo ubi abundat Dei gratia, (quomodo revera abundat, & plusquam abundat Vocationis Religiosæ gratia) ibi etiam abundat omnino debet tam Vita Religiosorum Sanctitatem excellens, quàm mors eorundem in conspectu Domini pretiosa.

3. Hic verò jam quæritur, inter perfectionis & Sanctitatis professores, sectatoresque (Religiosos,) ut fidelis quis inveniatur: ut hoc revera sit opere, quod est statûs professione: ut expleat spem vocationis suæ, per exæquationem professionis suæ: ut per quinque Domini talenta superlueretur, alia quinque, ut unica Domini *Mna*, in eo decem *Mnas* acquirat; ut demum dignus fit à Domino audire; *Euge serve bone: Luc. 10. 17. esto potestatem habens super decem Civitates..* Hæc utique est pretiosa in conspectu Domini Mors Sanctorum ejus.

4. Ad quam, quid tibi deest, ô Homo Dei: si tu ipse tibi non dees? & numquid curas ne defis? & ah! quàm parvæ res, quàm magnas impediunt? Viri gloriosi: qui omnia Mundi, Carnis, Diaboli, vincula ruperunt, promissa spreverunt, res & spes conculcaverunt: propter singulare scilicet, excellensque obsequium Dei: unam negligentiam, tepiditatemque, unam dilationem & procrastinationem, unum timorem, seu respectum humanum, unam consuetudinem, affectionemvè, pervincere, non possunt, non audent, nolunt: ut Deo magis placeant quam hominibus, ut Deo potius secundum Cor & gustum sint quam sibi: ut Deo amplius pretiosi in vitâ & morte sint, quàm despecti, & ridiculi, illusique diabolo, & in vitâ ignavâ atque tepidâ, & in morte anxîâ atque trepidâ.

Ergo quicumque desideramus pretiosam mortem nostram esse in conspectu Domini; amemus, curemus, vivamus vitam eximiè sanctam, perfectam, consummatamque in obsequio Domini.

P R A X I S,

DELIS, sub cuius nutibus vitæ nostræ præsentia momenta decurrunt, suscipe preces humiliter ad te clamantium; ut hanc quidem mortalem vitam omnem, secundum Sanctissimæ Voluntatis tuæ beneplacitum, in abundantia honorum operum, adiuvante Gratiâ tuâ semper decureamus: ejus vero decursu sancto, pleno, pretioso, ac tibi placito fine, per Patris tui, & Matris ejus, & Electorum omnium meritis, & per misericordiam tuam, concludamus.

EXERCITIUM V.

De Preparationibus ad Sanctam Mortem.

1. **C**ONstitue te in statu moribundi: inque vicino mortem habentis: & quasi tibi dicitur. *1. Petr. 4. 7.* Etum sit ab Apostolo; *omnium finis appropinquavit: estote itaque prudentes, & vigilate:* & alio; *Jac. 5. 8.* Confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit; da seriam operam, ut monitis eorum obsequaris: & juxta monitum *Ezech. 7. 2. 6.* Prophetæ: *quoniam finis venit, venit finis:* fac conclusionem.
 2. Conclusionem facere, ut arbitror, esse se ad venientem Vitæ finem, hoc est, ad mortem disponere, atque præparare, ne nos imperatos seu mors, seu in morte Dominus reperiat, atque tanquam servi nequam, adventum Domini, nec scientis, nec sperantis; partem nostram cum hypocritis ponat.
 3. Collige, & selige tibi juxta statum tui exigentiam, conclusionis, seu dispositionis, præparationisque tuæ ad mortem praxes: quas excu-